

Festa *solemnia* esse praeter festum Paschatis Resurrectionis D. N. J. Chr., feriam V. in Coena Domini, festum Ascensionis D. N. J. Chr., SS. Apost. Petri et Pauli, festum Annuntiationis et Assumptionis B. V. M., festum Omn. Sanctorum, festum Nativitatis ac Epiphaniae Domini. n. 364 die 17. Novb. 1607.

Vd.: *Patronus; Functiones pontificales; Obligatio Episcopi celebrandi; Patronus princip.* (transl. decr. n. 4554 ad 2 nota).

37) Translatio.

Vd.: *Translatio festi.*

38) SS. Trinitatis.

Vd.: *SS. Trinitas.*

39) Votivum.

DE FESTORUM OBSERVATIONE.

Quaesitum fuit a multis Episcopis: an Constitutio super observatione Festorum comprehendat Festa ex voto alicujus Personae vel Communitatis introducta? Et interrogatis prius Consultoribus Sac. C., qui post latum suffragium recesserunt, Fr. Lucas dixit, constitutionem tollere festa de voto. P. Alciatus: festa de voto esse sublata quia votum non obligat successores, sed habendam rationem dictorum festorum. Abbas Hilarion: successores non teneri ex voto, sed ex directione Communitatis, accedente auctoritate Episcopi. Ideoque Constitutionem tollere festa de voto pro iis, qui non voverunt, secus pro illius qui voverunt. R. P. D. de Rubeis: festa de voto remanere in dispositione Juris communis. R. P. D. Sacrista: tolli ex vi clausularum derogatarum in fine Bullae, quae tollunt omnia statuta etiam juramento firmata. Emmus Cardinalis Sacchetti: successores non

obligari, voventes obligari: Pamphilius: in eodem, et in derogatoriis tolli statuta juramento firmata; Reccius in eodem. Pallottus: teneri ad festa de voto qui voverunt, et non esse edendum Decretum generale, sed respondendum ad particularia; Franciottus: teneri, qui voverunt, uti particulares, et responsiones dandas tantummodo petentibus, vel dicta festa ponenda sub festis de devotione. Bragadinus in eodem; Caesarinus in eodem. Ideoque S. C. unanimi consensu Decretum desuper concepit tenoris sequentis:

Proposito Dubio ad instantiam quam plurium Reverendissimorum Episcoporum: an stante Constitutione S. D. N. Urbani P. VIII. super observatione Festorum, quae incipit *Universa*, Idibus Septembris 1642 promulgata, Universitates seu Communitates Civitatum seu locorum teneantur ex praecepto servare festa ex voto eorumdem inducta? Die 18. Aprilis 1643 S. R. C., referente Emo. et Rmo. D. Cardinali Sacchetto censuit: „ex dispositione Constitutionis praedictae Personas voventes tantum teneri;“ quam S. C. sententiam sibi relatam SSmus. D. Noster laudavit et approbavit dixitque „intentionem suam fuisse per eam Constitutionem tollere festa de voto quoad vim praecepti, et reducere illa ad instar Festorum de devotione, reservata obligatione ratione personalis contractus ex vi voti provenientis ipsismet personis tantum, quae voverunt.“ n. 1444 die 18. Aprilis 1643; n. 3651 ad 1 die 23. Junii 1702. Vd.: *Fest. de praecepto.*

Juxta resoluta sub die 18. Apr. 1643 ex dispositione Constitutionis *Universa* personas *voventes* tantum teneri, quam Congregationis sententiam Urbanus VIII. laudavit dixitque intentionem suam fuisse, per eam Constitutionem tollere festa de voto *quoad vim praecepti* et reducere illa ad instar festo-

rum de devotione, *reservata obligatione ratione personalis contractus ea vi voti provenientis ipsismet personis tantum, quae voverunt.* n. 1530 ad 1 die 4. Mart. 1645.

FIDELIUM

(Oratio).

Cf.: *Commem. pro Def.*

Ad dubium: an, quoties qui privatim celebrat de simplici vel reassumit missam Dominicae praecedentis in fer. 2., vel prima die mensis non impedita, teneatur dicere secundam orat. *Fidelium* tam in missa conventuali quam in caeteris privatis? S. C. resp.: Affirmative. n. 3595 die 13. Aug. 1701.

Vd.: *Missa conv. de requ.* (Estne praecept.?). *Oratio imp.* (dicenda; quaest. 4. decr. n. 4746).

FIDELIUM ANIMAE etc.

Non est omittendum in fine cujusvis horae: „*Fidelium animae etc.*“ quando post eam immediate dicitur missa, sed servandus adamussim textus rubricae 30 Breviarii rom. n. 4124 die 24. Apr. 1742.

Vd.: *Nativit. Dom.* (Officii temp. decr. n. 4656 nota ad finem.)

FIMBRIAE VESTIS
EPISCOPI.

Ad dubium: an Episcopo ascendente gradus et descendente Magister Caeremon. teneatur elevare fimbrias? S. C. resp.: Servetur Caerem. L. 1 c. 8. n. 3845 ad 5 die 27. Febr. 1712.

Vd.: *Pluviale* (fimbriae etc.); *Diaconi ass. Episc. in Cath.* (decr. n. 351).

FISTULA

(in Sumptione SS. Sanguinis).

Vd.: *Sumptio SS. Sanguinis.*

FIXATIO

(festorum).

Vd.: *Festum* (fixatio).

FLECTAMUS GENUA.

(Genufl. cor. SSmo).

NEAPOLITAN.

Quum Sacerdos Joseph Pignatelli Neapoli degens S. R. C. humillime rogarit, ut declarare dignaretur: an, quando Missa celebratur in Altari, in quo publicae Fidelium venerationi est expositum SSmum. Eucharistiae Sacramentum, et in Missa ipsa dicendum occurrit *Flectamus genua*, genuflexio isthaec fieri debeat erga SSmum. Sacramentum, an vero more solito ante Missale, ut a Rubrica praescribitur? Quumque S. C. in Ordinario Coetu ad Quirinale habita VIII. Kal. Oct. superioris Anni 1842 edixerit, ut in re exquireretur Votum alterius ex Apost. Caeremoniarum Magistris, iterum proposita instantia in novis Ordinariis Comitibus ad Vaticanum hodierna die coadunatis, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi ad relationem subscripti Secretarii respondendum censuerunt: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum: in casu nihil innovandum, ac servandas Rubricas gen. titulo de Oratione num. IV.“ Atque ita servandum mandarunt; die 18. Febr. 1843. n. 4962.

FORMALE.

Vd.: *Pectorale Episcopi* (decr. n. 4235.)

S. FRANCISCUS.

1) Assisi.

a) Imago.

Vd.: *S. Antonius* (imago).

b) Inventio ejusdem Corporis

*Pius Papa VII.**Ad perpetuam rei memoriam.*

Assisiensem Basilicam, quam Gregorius IX. ob s. Francisci Minoritarum Parentis honorem, atque ad sacrum ipsius Corpus loco honestissimo condendum molitione admirabili opereque magnifico extruendam ab inchoato curavit, caeterique Romani Pontifices Praedecessores Nostri omni cultu exornarunt insignique copia privilegiorum prae caeteris Aedibus auxere, eam Nobis singulari quadam Divinae Providentiae dispensatione datum est illo digitatis ac gloriae splendore cumulare, qui ad perfectum absolutumque ejusdem decus desiderari unice videbatur. Communi quippe consensione percubuerat, sub Ara principe ejusdem Basilicae locum esse, in quo Viri sanctissimi Corpus extaret. Verum Eo sic disponente, cujus inperscrutabilia judicia sunt, nondum adinveniri posse, atque in lucem aspectumque hominum proferri Thesaurum omni auro pretiosorem, lectissima tanti Patris Familia et res Christiana universa condolebat. Imo quae in causis id genus Sanctae hujusce Sedis provida est jugiter, et cauta moderatio, visum fuit Paulo V. fel. rec. decreto ex ipsius auctoritate per Alphonsum Vice-comitem Cardinalem Ordinis Conventualium Patronum edito, diserte cavere, ut perquirere ipsum fossionesque aut aliud quidpiam in eum finem ibidem pertentare, fas esset nemini. Illuxit tamen tempus a Deo praefinitum, quod incensa omnium vota tantopere adproperabant, quo nimirum Vas illud Spiritus Sancti profrahendum foret in lucem: Nostraeque humilitati tot inter tantasque Summi Pontificatus sollicitudines fatiscenti eam Deus Omnipotens delatam voluit consolationem, ut nos suspicatilissimae hujusce faustitatis administratos clementer adsciverit.

Cum enim, conficiente Domino miserationes viasque aperiente mirabilium suorum, certis quibusdam gravibusque ex rationibus compulsi, memorato Pauli V. interdicto derogandum esse duxerimus precibusque annuerimus a Dilecto Filio Josepho Maria de Bonis, Ordinis Minorum Conventualium Ministro Generali, perlatis, quibus de S. Francisci Corpore inquirendo in Assisiensi Basilica facultas poscebatur, res cessit feliciter.

Longo siquidem duarum et quinquaginta noctium atque incredibili labore clam et occulte insumpto perruptisque, rupe, aggere, muris, coementis saxisque praegrantibus, locum demum introspicere datum fuit Arae maximae recta prorsus suppositum, in quo Arca lapidea jacebat, quam ferrei clathri validis virgis inferiusque ac superius mirifice densis circumcludebant, quin sacras Reliquias ibidem ad servatas invisere prohiberent. Aditu proinde in cavum eum sinum, uti cautum fuerat, illico obstructo, neque ad Nos statim delata, primum Venerabili Fratri Francisco Episcopo Assisiensi mandatam fuit, ut ea dumtaxat, quae usquedum acta proferebantur, rite ipse cognosceret, quin tamen de sacris Reliquiis quaestionem institueret. Ad eam quippe pro summa negotii gravitate non ipsum solum Franciscum Episcopum sed et alios praeterea Venerabiles Fratres Nucerinum, Spoletanum, Perusinum et Fulginatensem Episcopos, datis in forma Brevis Apostolicis Literis die 8. Jan. anno superiori, adlegendos censuimus, ut insimul in memoratum locum convenirent, neque universa accuratissime conspecta, Viris artium peritis auditis et in examen vocalis cunctisque monumentis diligenter conquisitis ac perpensis, ea omnia in acta solemniter referrent ac juridicum super indentitate Sacri Corporis processum pera-

gerent, obsignarent et in Urbem mitterent Nobisque ad veritatem significarent, quid de re ipsa sentirent in Domino.

Nitide iidem atque ea, qua praestant, dexteritate et prudentia imposito sibi munere perfuncti sunt. Quare omnibus ad praefinitam ex Sacrorum Rituum Congregationis institutis normam diligenter absolutis non abnuimus, acta haec ipsa iis, quorum intererat, patefieri, ut quaelibet ex Minoriticis Familiis per suos Generales Procuratores libere hac in causa suam diceret sententiam, ut exinde locupletissima animadversionum documentorumque congerie in disceptationem proposita luculentius veritas tutiusque dignoscetur.

Haec porro omnia discutienda et perpendenda demandavimus juxta Tridentini Concilii Decreta Sessionis XXV.: *De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum*, selectae cuidam Congregationi, quam in eum finem designavimus ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. C. Cardinalibus de Somalia Sacri Collegii Decano, ejusdem S. R. E. Vice-Cancellaris et Congregationis Sacrorum Rituum Praefecto; Naro, Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum Praefecto; Quarantotti et Antonio ab Aurea, nec non ex Dilectis Filiis Magistris Francisco Serlupi Romanae Rotae Decano, Josepho Antonio Sala memoratae Rituum Congregationis Secretario Coadjutore Alexandro Buttaoni Fidei Promotore et Aloysio Gardellini ejusdem Rituum Congregationis Assessore, ac demum ex tribus Sacrae Theologiae Doctoribus atque Congregationis Rituum Consultoribus Vincentio Garofoli Abbate et Vicario Generali Canonorum Regularium SSmi. Salvatoris, Aloysio Jonni Magistro Ordinis Eremitarum S. Augustini et Antonio Maria Grandi Pro-Vicario ac Procura-

tore Generali Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli. Hinc habita ea Congregatione in Aedibus Cancellariae Apostolicae ad diem XVI. Kal. Augusti, allatisque ad Nos per Secretarium suffragiis omnibus scripto traditis, causam universam serio diligenterque considerandam Ipsi suscepimus atque peculiari Divinae Sapientiae praesidio multa humilique prece exorato, decretorium tandem judicium Nostrum juxta ejusdem selectae Congregationis mentem memorato Sacrorum Rituum Congregationis Assessori, qui Nos pro Secretario absente Kalendis Augusti adivit, aperuimus illudque per Apostolicas Literas explicare ac sancire decrevimus.

Benedicentes itaque Patri totius consolationis, optima spe recreati, novum atque illustre salutaris praesidii a Sancto Viro in tanta temporum difficultate Nobis praebendi testimonium ex mira hac sui Corporis inventione praefulgere, de ejusdem Congregationis selectae consilio et voto, Apostolica auctoritate, tenore praesentium edicimus ac declaramus: „Constare de identitate Corporis nuper sub Ara maxima inferioris Basilicae Assisiensis inventi, illudque revera Corpus esse S. Francisci Ordinis Minorum Fundatoris“.

Decernentes, hasce praesentes Literas, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari vel impugnari nullatenus posse, sed semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et ejus-

dem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super iis a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissis, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur praesentibus pro plene, et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ne Venerabile Corpus ex subterraneo loco, in quo sex fere saeculis quievit, alio deferatur; item ne vel minimam quidem Sacrorum Ossium partem liceat inde extrahi auferrique; ac demum, ne Arca, postquam clausa fuerit et obsignata, ullo umquam tempore absque Nostro vel pro tempore existentis Romani Pontificis permissu reseretur. Sinimus tamen, ut, si qui sint ex Carnium molliumque corporearum partium intertrimento cineres ac pulveres, colligantur pro Reliquiis asservandi: illudque cum primis etiam atque etiam commendamus ac praecipimus, ut sacratissimus hic Thesaurus ab omni prorsus injuria atque vi tutus inviolatusque conservetur ejusque accuratori custodiae tuitioni, incolumitati apprime consulatur. Quae ut rite

ac pro rei sanctitate diligenter conficiantur, eundem Episcopum Assisensem et Generalem Conventualium Ministrum, eoque absente, Custodem Basilicae, pro tempore existentes, uti ab Apostolica Sede Delegatos, in id specialiter eligimus ac deputamus. Facultatem poro facimus, nedum lapideam Arcam, qua Sacrae Exuviae clauduntur, opere eleganti pretiosisque ornatibus contegi ac ditari, sed et integrum conditorium, quo ea prostat, perpoliri omnique cultu exornari et commodiorem aditum in ipsum aperiri, cujus quidem operis universi descriptionem rationemque Nobis probandam reservamus, ac non nisi ex Nostro consensu executioni demandari permittimus. Nolumus vero, patere in illud ingressum, nisi certis dumtaxat solemnioribus diebus statisque conditionibus per Nos praefiniendis, aut si quando Viri Principes vel S. R. E. Cardinales vel Episcopi seu Consules Romanae Curiae gloriosum Sanctissimi Patriarchae Sepulchrum venerari illic accesserint.

Illud tandem quoque mandamus, ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die V. Sept. MDCCCXX. Pontificatus Nostri Anno vigesimoprimum.

Loco + Sigilli. H. Card. Consalvus. n. 4569.

c) Nominatio in Orat.

Ad dubium: An in missa votiva s. Francisci oratio *A cunctis*, quando di-

cenda erit, permutari debeat in aliam B. V. M. *Concede*, prout in missa vot. ss. ap. Petri et Pauli volunt aliqui rubricistae? S. C. resp.: Vel omittendum nomen s. Francisci in Oratione *A cunctis* aut legendam orationem ad poscenda Suffragia, quae incipit: *Concede*. Die 15. Maii 1819, in *Assis.* ad 3.

Ad dubium: An in oratione et versiculis B. Francisci possit addi a Franciscanis: *B. Patris nostri?*

S. C. resp.: Negative. Die 18. Decb. 1779. n. 4395 ad 16.

d) Nominatio in Confiteor.

Vd.: *Confiteor* (additio).

e) Rosarium de s. Franc.

Vd.: *Rosarium* (novum non introd.)

f) Translationis festum.

De bened. octava vd. *Bened. 8.*

Ad dubium: An universus etiam Ordo Capucinatorum, qui festa transl. s. Francisci de Assisi et s. Bonaventurae e. d. sub eodem titulo et ritu et solemnitate celebrat, qua PP. Conventuales, sub eadem rubrica, juxta quam recitatio Symboli in dictis festis praecipitur, comprehendantur? S. C. resp.: Servandam esse a PP. Capuccinis rubricam ad instar PP. Conventualium. n. 4345 die 27. Aug. 1768.

2) Borgia.

De s. Francisco Borgia debet fieri Officium semidupl. de praecepto. n. 3244 ad 4 die 11. Aug. 1691.

In Officio de eodem s. Francisco debent dici primae Lectiones de Scriptura. n. 3244 ad 5 die 11. Aug. 1691.

Ad dubium: an per extensionem ad Ecclesiam universalem Officii S.

Francisci Borgia derogatum sit Indulto ap. celebrandi hoc festum die 18. Oct. sub ritu dupl. 2. cl. in Regnis Regis Catholici? S. C. resp.: *Negative* et utantur Indulto. n. 3412 ad 3 die 19. Jan. 1697.

3) Coracciolo.

Juxta decretum Urbis et Orbis 5. Aug. 1507 sequenti anno (1840) additum fuit Calenderio (Dioc. Piscien.) Officium s. Franc. Caracc. cum missa *Os justi* de communi. In Calend. aliarum Dioeces. assignatur missa ppr. concessa altero decreto 25. Novb. 1807. Quenam legenda? S. C. resp.: Esse legendam missam ppr. n. 4859 ad 5 die 3. Aug. 1839.

4) De Paula.

a) Officium.

Ad dubium: An in Festo S. Franc. de Paula Conf., modo cum Octava in utriusque Siciliae Regno celebrando, Officium a Clero persolvendum esse debeat proprium pro Ordine Minimorum adprobatum vel desumendum ex Breviario et Octavario Rom.?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit: „Officium Brev. Rom., et per Octavam desumendum ex Octavario itidem Rom. . . .“

Atque ita rescripsit servandumque mandavit. N. 5017 ad 1.

Die 14. Junii 1845.

Vd.: *Cognom. SS.* (non dicenda).

Sixtus PP. V.

Hac praesenti constitutione mandamus, ut S. Francisci de Paula c. dies festus, qui quarto Non. Aprilis peragitur, duplici posthac et proprio, et ubi propria non erunt, de comm. c. non p. officio per cunctas totius christiani Orbis ecclesias quotannis cele-

bretur et in Calend. cum duplicis festi adiectione inscribatur.

Romae 1. Sept. 1585. (Bull. rom. tom. II. p. 536).

b) Translatio.

Vd.: *Annunt. B. V. M.* (decretum pro Ordini Minimorum.); *Missa sol. in Coena D.* (decr. n. 3337; idem decret. etiam pro *Sabbato* s. edictum est et sub n. 3352 die 5. Mart. 1695 emanatum est.)

Concessa sub die 7. Novembris 1671, prout assertum fuit, a S. M. Clemente P. X. toti Ordini Minimorum facultate singulis feriis sextis non impeditis sub ritu semiduplici Officium S. Francisci de Paula Ordinis praefati Fundatoris (recitandi) Corrector, et Religiosi ejusdem Ordinis conventus SSmae. Trinitatis in Monte Pincio de Urbe humiliter S. R. C. supplicaverunt declarari:

An extante aliquo festo duplici vel semiduplici translato feria VI. pro Officio S. Francisci de Paula toti Religioni ejusdem Sancti, ut supra, concessa, ceaseatur impedita et de festo duplici vel semiduplici translato fieri debeat Officium; vel potius non impedita et Officium S. Francisci de Paula in eadem recitari debeat, et alterum duplicis vel semiduplicis translati sit ulterius transferendum.

Et S. eadem R. C. „Officium translatum transferendum esse“ censuit. n. 3589. Die 11. Junii 1701.

5) Salesius.

Ad dubium: an dies b. Francisci Sal. sacra a Clero et populo Dioecesis Genevens., cujus Pastor et Pater Sanctus ille extitit, sub *praeepto* coli et celebrari possit? S. C. resp.: Posse cum consensu Cleri audito populo, non obstante, quod SS. Pont. 29. Jan. universae Ecclesiae colendam diem mandavit, *non jussit*, celebrari de prae-

cepto. n. 2425 ad 1 die 19. Novb. 1667.

Vd.: *Moniales* (Breviar.), *Confiteor Monial.* *Bullam Canonisationis s. Franc. S. promulg. ab Alexd. VII. die 12. Maii 1665. vd. Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 221.* (ed. Luxemburg 1727.)

6) Xaverius.

a) Indulgentia plen. in ejus festo in Ecclesiis Societatis Jesu et ejus Translatio.

Urbanus PP. VIII.

Alias fel. record. Gregorius XV. Praedecessor noster omnibus et singulis presbyteris et Clericis Societ. Jesu ac aliis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac s. commun. reffectis, qui aliquam ex ecclesiis dietae Societatis ubique existentibus in festo s. Fr. Xav. devote visitassent, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit.

Nos autem, quotiescunque de caetero festum hujusmodi in I. dom. Adv. inciderit, celebrationem festi hujusmodi in unum ex diebus infra octavam festi s. Fr. Xav. tenore praesentium perpetuo transferimus iisdemque Presbyteris ac Christifidelibus praemissa peragentibus *etiam in die, in quam celebrationem festi transferri contigerit, plenariam indulgentiam et remissionem in Domino concedimus.* In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Romae apud s. Petrum sub annulo Piscat. die 22. Decb. 1637.

Innocentius PP. XX.

Nos supplicationibus Procuratoris gen. Societ. Jesu annuere volentes,

quotiescunque de caetero festum S. Fr. X. in I. dom. Adv. inciderit, *tunc eo casu illud in fer. 2. primam dominicam Adv. immediate sequentem,* ita ut Christifideles dicta feria praemissa adimplentes, *eandem prorsus indulgentiam consequantur* ac in die festo tenore praesentium perpetuis futuris temporibus etiam transferimus. Romae die 27. Oct. 1651. Idem decr. confirm. est ab Alexd. VII. die 18. Jul. 1663. (Bull. mag. rom. tom. V. p. 478, 312; tom. VI. p. 197.)

Vd.: *Indulg.* (Monast.)

b) Patronus Unionis Propagationis Fidei.

EUGUBIN.

Quum Deputati Piae Unionis Propagationis Fidei Civitatis Eugubinae S. R. C. enixe rogarint, ut declarare dignarentur: num in Eccl., ubi memorata Sodalitas erecta reperitur, deinceps Festum S. Franc. X. ceu Patroni ipsius Unionis institui queat sub ritu dupl. I. Cl. cum Symb. Nic. in Missa? S. C. rescripsit: „Negative.“ Die 18. Febr. 1843. n. 4960.

FUNALIA

(in elevatione SSmi.)

Vd.: *Intortitia ad elevationem etc.*

FUNCTIONES.

7) Ecclesiae Filialis.

Cf.: *Parochus; Officia hebdomadae sanctae.*

RIPANA.

In Oppido vulgo Montebrandone intra fines Dioec. Ripan. erecta reperitur Eccl. a Sacerdote Joanne Sacri aedificata in hon. B. V. M. a Spe nuncupata atque necessaria Dote ditata, in qua annuentibus Ep. Ecclesiasticae

Functiones, quae juris non sunt Prochialis, atque Solemnes per annum Supplicationes ab Ep. ipsis ordinariae declaratae institutae sunt. Quum vero in praesentiarum hodiernus Praepositus jus aliquod sibi vindicet in ipsis Functionibus et Supplicationibus; ac proinde Sacerdoti Oratori de anno 1830 injunctum fuerit ab Ep., ut veniam impetraret ab eodem Praeposito, ipse grave admodum hoc experitur, ex eo potissimum, quia innumeris Decretis S. R. C. praescriptio isthaec opponitur; ac proinde eandem C. humillimis precibus rogavit, ut declarare vel potius decernere dignaretur: an deinceps in memorata sua Eccl. Supplicationes caeteraque Ecclesiasticae Functiones, quae Parochialia jura vel in minimo laedunt, exerceri et institui valeant de venia tantum Episcopi, ut simili modo contentiones ac jurgia penitus amoveantur. Et Emi. ac Rmi. P. S. Ritibus tuendis praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati rescribendum censuerunt: Posse in casu, de consensu tantum Ep. juxta alias Decreta. n. 5024 die 14. Jun. 1845.

2) Ecclesiae Parochialis.

Quando promulgantur?

Vd.: *Nupt.* (Promulg. decr. de die 8. Julii 1724); *Off. hebdomadae s.; Sabb. s.; Parasceve.*

3) Pontificales.

Vd.: *Festum solenne; Obligatio Episcopi celebrandi.*

Functiones pontif. esse: festum Nativit. D., Epiphaniae, Ascensionis, Pentecost., apost. Petri et Pauli, Assumpt. B. V. M., Omnium SS., Dedicacionis Cathedr., Titulum ejusdem, Patroni civitatis, Commem. omn. defunctor., distributionem candel., cinerum, palmarum, celebrationem Officii fer. V. in Coena Dom., feriae VI. in

Parasc., festum Pasch. Resurrect. D. N., diem solem. Corp. Chr. cum processione. n. 2603 die 3. Sept. 1672.

Archiepiscopus Turritanus non valet peragere functiones solemnes majoris hebdom. in Ecclesiis particularibus, derelicta Cathedrali. n. 3687 ad 7 die 26. Apr. 1704.

FUNDATOR MONASTERII.

Vd.: *Ordines religiosi.*

FUNERALIA.

Vd.: *Processio funebr.; Sepultura; Quarta funeralis; Eleemosyna pro fun.*

S. GABRIEL. ARCH.

Vd.: *Bened. octava.*

Ad dubium: An Congregatio Canonicorum regul. Lusitaniae permanere debeat in antiqua possessione recitandi ex Ind. apost. sub ritu dupl. maj. Officium s. archang. Gabrielis dominica prima non impedita cujuslibet mensis a Pascha usque ad Adventum seu potius firmo remanente eodem ritu dupl. maj. teneantur se conformare universo Portug. Regno, ubi dictum Officium recitatur die 18. Mart. sub ritu dupl. min.? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem etiam quoad ritum, negative ad secundam. n. 4425 die 10. Mart. 1787.

GALERUM.

(*Episcopi Administr.*)

Vd.: *Caput.*

Ad dubium: An habeat Episc. Adm. usum Galeri cum chordulis et floccis viridis coloris ac hujusmodi colore possint ornari equi currus?

Funera et funeralia emolumenta def. Episcoporum, Canonicorum aliorumque Praebendatorum Cathedralis Thelesinae spectare ad Cathedrali privative quoad parochum Collegiatae unice parochialis in Oppido Cerreti. n. 2165 die 1. Apr. 1662.

Funerum emolumenta, quae per Haeredes defuncti Capitulo solvi solent, inter Canonicos et Dignitates aequaliter dividi debent. n. 4064 ad 7 die 31. Aug. 1737.

G.

Et S. eadem C. . . respondendum censuit:

„Negative ad primam partem, et quoad secundam recurrit ad S. Caeremonialis C.“

Atque ita rescribendum rata est ac ex alias etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 9 die 23. Sept. 1848.

GAUDENT IN COELIS.

Vd.: *Martyr.* (antiphona)

GENERALES RELIGIONUM.

Generales Ordinum tractandos esse ab Episcopo tam in eis comitandis quam in aliis functionibus honorariis pariformiter ac Praelatos quorum Dignitati aequiparantur, ut disponit Caerem. Ep. c. XIII. circa finem. n. 2918 ad 1 die 6. Apr. 1680.

Possuntne Generales novum Officium indicere? Vd.: *Regulares* (Officium, praecipue decr. n. 5023); *Immaculata Conceptio B. V. M.* (Off. decr. n. 5051) *Festum* (indictio etc.)

GENITORI GENITOQUE etc.

1) Quando incipiend. et quis intonat in process.?

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 15. 16. 20.

2) Non infra verba: Genitori etc. fit bened. cum SSmo.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. 21.

GENUFLEXIO.

1) Ante altare.

Ad dubium: An Beneficiati seu alii inferiores Canonicis supervenientes in chorum inchoatis Officiis et Missa debeant ante altare genuflectere? S. C. resp.: Tam a Canonicis quam ab aliis inferioribus servandum esse Caer. Ep. Lib. I. c. XVIII. n. 4—6. n. 3535 ad 1 die 3. Oct. 1699.

Vd.: *Genuflexio coram Episcopo* (decr. n. 4168); *Genuflexio Sacerd. ante altare.*

2) Ad benedict. Celebrantis.

Ad dubium: An Sacrum solemniter faciente altero ex Beneficiatis cum assistentia Diaconi et Subdiaconi de eodem gremio. Ministri ipsi, dum Benedictionem a Celebrante accipiunt teneantur genuflectere, stantibus et non genuflectentibus ceteris in Choro permanentibus?

S. eadem C. rescribendum censuit: „Affirmative, seu teneri ad genuflectendum“.

Atque ita S. C. rescribendum et declarandum censuit. n. 5176 ad 3 die 25. Sept. 1852.

Ad dubium: Utrum ad benedictionem Sacerdotis in fine Missae solemnibus, sive cum cantu, Ministri et alii de Choro stare vel genuflectere debeant?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit:

„Stare Canonicos se profunde inclinantes, alios genuflectere“.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4782 ad 12 die 27. Aug. 1836.

3) Coram Canonico celebrante.

Ad dubium: An liceat clericis ministrantibus thuribulum seu naviculam Canonicis celebrantibus coram Episcopo genua illi flectere sicut Episcopo? S. C. resp.: Negative; die 4. Apr. 1639 ad 8.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 8.

4) Chori infra Missam et Officium.

Vd.: *Confessio; Genuflexio cor. Episcopo* (decr. n. 4595 ad 1); *Incaratus est.*

Praelati in choro ad confessionem in missa sol. genuflectere non tenentur; tenentur tamen ad orationes in missis fer. Adventus, Quadragesimae, quae jejunantur, exceptis excipiendis, et pariter in missis def., dummodo non adsit contraria consuetudo. n. 3279 die 17. Maji 1692.

Ad dubium: An in vigiliis Apostolorum, eo quia per Bullam SSmi. D. N. Pii Papae VII. die 10. Aprilis 1818 pro Siciliae Regno abrogata fuerunt Jejunia, genuflectendum sit a Choro ad preces Officii et in Missa de iisdem Vigiliis, eo quia in dicta Bulla legitur: Officia et Missas tam in iisdem abrogatis Festis quam in eorum Vigiliis retineri et sicut prius celebrari mandamus?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit ut infra, videlicet:

„Cum per Apostolicum Indultum in casu, de quo agitur, abrogatis vigiliis quoad jejunium et abstinentiam nihil immutatum fuerit quoad ritus et functiones Ecclesiasticas, imo expresse cautum sit, ut retineantur et serventur, ideo ad preces Officii et in Missa